Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

crucifige. crucifige eum. Dicit eis pilatus. Accipite eum vos: et crucifigite. Ego enim non inuenio in eo culpam. Responderunt ei iudei. Nos legem habemus: et secundum legem debet mori: quia filium dei se fecit. Cum audisset autem pilatus hunc sermonem magis timuit: et ingressus est prætorium iterum. et dicit ad iesum. Vnde es tu. Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei pilatus. Mihi non loqueris. Nescis quia potestatem habeo crucifigere te. et potestatem habeo dimittere te. Respondit iesus. Non haberes potestatem adversum me ullam: nisi tibi esset datum de sup. Propterea qui tradidit me tibi: maius peccatum habet. Et exinde quærebat pilatus dimittere eum. Iudei autem clamabant dicentes. Si hunc dimittis non es amicus cesaris: omis enim qui se regem facit contradicit cesari. Pilatus ergo cum audisset hos sermones adduxit foras iesum: et sedit pro tribunali in loco qui dicitur lithostratos. hebraice autem gabatha. Erat autem parasceue pasce hora quasi sexta. Et dicit iudeis. Ecce rex vester. Illi autem clamabant. Tolle. tolle. crucifige eum. Dicit eis pilatus. Regem vestrum crucifigam. Responderunt pontifices. Non habemus regem nisi cesarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem iesum et eduxerunt. et bajulans sibi crucem exiuit in eum qui dicitur

caluarie locus. hebraice autem golgatha. vbi crucifixerunt eum. et cum eo alios duos hinc et inde. medium autem iesum. Scripsit autem et titulum pilatus: et posuit super crucem. Erat autem scriptum. Iesus nazarenus rex iudeorum. Hunc ergo titulum multi legerunt iudeorum: quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus est iesus. Erat autem scriptum. hebraice græce. et latine. Dicebant ergo pilato pontifices iudeorum. Noli scribere rex iudeorum: sed quia ipse dixit rex sum iudeorum. Respondit pilatus. Quod scripsi scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta eius. et fecerunt quatuor partes. vnicuique militi partem et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis. desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem. Non scindamus eam. sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura impleretur dicens. Partiti sunt vestimenta mea sibi: et super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem iesu mater eius et soror matris eius maria cleophe et maria magdalene. Cum vidisset ergo iesus matrem et discipulum stantem quem diligebat. dicit matri suæ. Mulier. ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea